

haberent fortem, et strenuum libertatis eius atque dignitatis vindicem, regia autoritate ipso Mose excellentiorem, non autem talem, qui suum ipse sanguinem effunderet, suamque pro recuperanda hominibus vita, carnem morti traderet, cuius ex efficacia et valore salutarem animi fructum et voluptatem illi demum perciperent, qui eo commouerentur ad obtemperandum Euangelio Iesu Christi; odiosa nimis et molesta iis videtur, fastidii plena illa et offensionis, quam ferre non possent, oratio, Dura est, dicunt v. 60. non Apostoli, qui his v. 67. opponuntur, sed multi ex reliquis doctrinae Christi alumnis, σκληρος ἐστὶν οὗτος ὁ λόγος, non *difficilis* quidem intellectu, quod res videatur impossibilis, ex sententia HEVMANNI, sed potius ex RAPHELI aliorumque interpretatione, *gravis* auditu, quae sit auribus animoque intolerabilis; τις δυναται αυτη ακρειν; Ita enim το σκληρον hebr. הַשְׂרָא Alexandr. de verborum asperitate et morum ferocia Gen. XLII. 7. 30. Ex. VI. 9. vt de re quacunque molesta, vel improba etiam et valde iniqua adhibent Gen. XXI. 3. 12. vbi textus hebr. habet עָרִי malum est, quo sensu etiam הַשְׂרָא extat Deut. XV. 18. quamuis c. I. 17. de causa ardua nimis et intricata, siue grauioris momenti dicatur, de qua non facile ausint iudices inferioris ordinis cognoscere; εαν το ρημα σκληρον η αφ υμων.

Offenduntur igitur hoc Christi sermone, eumque aegre ferunt et grauiter, γογγυζουσι περι ταυτη v. 61. Cuius autem rei causa, cum tales in eorum mentibus versari cogitationes animaduerneret Saluator, ειδως εν εαυτω, sic eos admonet: Numquid hoc vobis est offendiculo? ταυτο υμας σκανδαλιζει; An iuste putatis vos indignari propterea, quod moriendum mihi, eaque morte et sanguinis effusione redimendum esse humanum genus dixi v. 51., simulque his tantum spem feci vitae aeternae, qui hoc mortis meae sacrificio recte fruuntur? Quid si tandem videritis eo redire Messiam, vbi fuit ante? v. 62, εαν ουν θεωρητε τον υιον τα ανθρωπων αναβαινοντα οπα ην το προτερον; הַשְׂרָא ab initio, sic vertunt Sept. Esa. XLVII. 10. in coelum nimirum, vnde venit? Annon tunc omnis offensio facile euanescet? Annon tum cibum esse eum, de coelo datum, intelligetis? Ita elliptica haec oratio, quam omnes sere interpretes per *apostrophe* explicandam esse fatentur, mihi quidem supplenda videtur. Est enim illa Christi in *coelos adscensio* evidentissimum, quod v. 30. ab eo postularunt, signum, et diuinae eius originis atque legationis documentum, quo tandem veritas eorum omnium, quae de se dixit Saluator, quaeque offensioni fuerunt Iudaeis, comprobata est, et scandalum omne sublatum. Ex hac igitur intelligere iubet v. 63, quo iure, quaque ratione se suam-